

Heinrich Dringenberg

**Programma in Solennitate Natalitia Dei Humanissimi, & Hominis Divinissimi,  
Jesu Christi, Orbis Redemptoris, ab Universitatis Rostochiensis Rectore Hinrico  
Dringenbergio, Phil. Moral. Professore, ac Facultatis suae hodie Decano, P. P.  
sub Sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73564103X>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

in

Solennitate Natalitiâ

DEI HUMANISSIMI, & HOMI-  
NIS DIVINISSIMI,

JESU CHRISTI,

Orbis Redemptoris,

ab

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

RECTORE

HINRICO DRIN-  
GENBERGIO, Phil. Moral.

Professore, ac Facultatis suæ hodiè

DECANO,

P. P. sub Sigillo Rectoratus.



R OSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad, Typogr, Anno 1664.

95.

20  
**F**estum solennemq; Christianorum sibi jam orbis no-  
vum MESSIÆ habet Natalem; certè majori jure, lon-  
geq; majori marito, quàm Ducum Auctorumq; suorum,  
*Epicuri, Platonis & aliorum*, Sectatores. Quidni enim istum,  
celebrare diem oporteat, quem cùm Majestas nascentis  
PUERI, tum beneficia mortalium generi per eundem præ-  
stita, sanctum volunt esse & quàm maximè venerabilem.  
Quod ad majestatem attinet, sanè eam ipsam & ante hunc  
orbem conditum DEO Patri omninò fuisse commendatissi-  
mam, id verò expressè legere sit Joh. XVII, 24; & 1. Pet. 1, 20.  
Sec nec minus post conditum, indè colligas, quòd multis  
ante natum seculis nasciturum sacer SPIRITUS promiserit,  
variisq; typis & figuris tantum non ante oculos depictum,  
constituerit. In Gen. III, 15. Seminis Muliebris, caput serpen-  
tis contrituri, luculenta est promissio; quæ ipsa primos pa-  
rentes, suapte culpâ, ac Seductoris vafritie, in DEI offensam  
prolapsos adflictosq; mirificè erexit, ac consolatione supra  
modum efficaci confirmavit. Repetita eadem ipsa est pro-  
missio, sed multò adhuc, quàm pridem, clariùs *Abrahamo*  
Patriarchæ, cujus tanta fuisse fides dicitur, uti *credentium pa-*  
*tris*, abs quo filii fideles longâ admodum serie descenderent,  
appellationem promereretur. Repetita verò ejus quoque  
est Filio, Nepoti; qui non diu morati suis ipsam posteris  
quasi per manus tradiderunt, leniendoq; videndi tam chari  
capitis desiderio, quale in *Abrahamo* extitisse apud Joh.  
IX, 26. dicitur, propagarunt. Inter figuras certè, quibus  
hæc promissi MESSIÆ nativitas, externis etiam sensibus  
ingesta fuit, eximia est, ac principatum quasi tenet *Isaaci* hi-  
storia, qui patri jam annis confecto, & effœto, ex matre  
sterilis

sterilis quidem adolescentiæ, sed fœcundæ anilitatis, natus est; qui, non obstante, quod in spem amplissimæ hereditatis solus susceptus & educatus foret, *Ismaële* planè excluso, tamen pro victimâ eductus ac sacrificio destinatus est. Cœcus sit, aut parum in divinis sapiat, qui CONSERVATORIS nostri nativatem, Regnum, mortemq; hac picturâ evidentissimè expressam, non intelligat. Porro MOSIS extat *Israëlitis* ab ipso facta promissio, Deut. XII, 15. hujusce argumenti: *Prophetam vobis excitabit DEUS ex Fratribus vestris, uti me; hunc audietis.* Sanè cùm aliâ etiam ratione constare queat, hunc nostrum, de quo commentamur, MESSIAM indigitari, vel *Apostoli* auctoritas minimè dubitare, hîc nos sinat, exsertis verbis hanc *θεοφιλεσέτης* Mosis prophetiam CHRISTO adplicantis, inq; eodem completam adferentis, Act. III, 22. Prophetarum monumenta, quæ in usus ipsi nostros reliquerunt, ingressi, nihil deprehendimus frequentius, nihil utiq; etiam facilius, quàm salutarem nativatem promissi Mundo MESSIÆ, adeò uti putidum videatur negotio isti quidem prolixè operari, aut citandis locis paginam implere velle. Saltem id tacere unicum non potest, quòd, ut promissio facta est toti populo, ita peculiari-ter facta sit populi istius REGI, & quidem præ cæteris admodùm eximio, DAVIDI, qui grande sese facturum operæ precium existimavit, si psalmis eam quoque suis hymnisq; insertam, tanquam argumentum planè divinum atq; memorabile, cum posteritate communicaret. Undè factitatum, uti in Epist. ad Rom. I, 3. aliisq; in locis, MESSIAS secundum carnem natus ex semine DAVIDIS dicatur; uti nimirum eò certius liqueret, MESSIAM exhiberi, qui promissus

sus

sus esset; ac officio, cui à DEO, ante res conditas, destinatus sit, vitam & operam ex prædicto impendere; nec ullâ in re partibus suis deesse. Quantum ad Legis typos umbrasq; attinet, eas jam saltem silentio præterire lubebit; ut quæ ipsæ etiam nihil aliud voluerint, nihil egerint aliud, quàm, uti pro temporis naturâ & suâ ratione indicarent, quid rerum promissus MESSIAS acturus esset, quot quantisq; beneficiis dicatum sibi populum affecturus, quâ ratione Regnum suû gesturus, quo itidem id modo administraturus. Cæterum hisce umbris discussis, ipsum Solem orientem spiritualibus fidelis animi oculis contueamur. Splendorem ejus orientis indicat primùm instar cujusdam Luciferi Antambulato ejus Baptistes; qui suam quoq; ipsius præstantiam nobis commendat eo primùm, quòd non sine miraculo sit conceptus, in parentis utero jam Sp. S. plenus & ab eo motus, nec sine miraculo natus; deindè quòd vitam egerit suo præcurso dignam, sanctimoniam plenam; spiritu & robore prophetico Eliæ armatus, neminem hominem ex omnibus, præter HERUM suum, habeat majorem. Sed quantæcunq; tandem vel dignitatis fuerit, vel eminentiæ, tamen si conferatur cum eo, cujus nativitatem suâ ipse semestri anteverterit, vix sese dignum profiteretur esse, qui in eundem vel purgamenti vicem obeat, aut infimi ceteroqui mancipii officio defungatur; corrigiam scilicet calceamentorum soluturus. Solem ipsum ostendit miraculorum divinorum plenissima nativitas, ad quam denunciandam Virgini, futuræ Matri, Angelus mittitur non sanè è plebe unus, verùm ex potentioribus: Mittitur à DEO ad hominem, humani generis causâ, quam gravissimam ac DEO dignissimam fuisse oportet. Neq; enim

rei

rei vulgari ac vili tantæ dignitatis ministrum abs Cœli terræq;  
conditore admoveri aut jus aut fas foret. Modus quem in  
conceptione deprehendere est, nil non divinum spirat, ad-  
eò ut à conditu Mundi nihil unquam gestum fuerit simile;  
quando conceptus est è Sp. S. & ex Virgine natus; quod  
Natura quidem verè fieri vidit, sed ita vidit, uti ordinem,  
ipsa suum nexumq; caussarum longè superari miraculo, lu-  
bens profiteretur. Hæc tanta nati pueri ante mundi con-  
ditum præordinati, post conditum sæpè & variè promissi,  
tandem exhibiti majestas ac dignitas major est, quàm uti  
humana eam adsequi vel oratio possit, vel cogitatio. Nec hîc  
objectari arctior nascentis, aut tenuior merebitur condi-  
tio, tanquam Majestati derogatura. Mundanum carnalem-  
vè totum eum esse oporteat, divinorumq; sensuum nec ha-  
bere hilum, qui ita arguetur. Sanè enim vel in ipsis præsepîi  
angustiis qui jacet PUER, omnes Mundi terminos implet ac  
terminat; regnat idem in cælo, qui vagit in pannis: clauditur  
maternis ulnis, cui angusta sunt Regum domicilia; ubiq; præ-  
sens omnia audit, omnibus actibus, omnibus cogitationi-  
bus miscetur, omnia moderatur; in bellis victoriam, in pa-  
ce fortunam disponit, atq; inter hæc ipsa, & per hæc ipsa,  
ut propius ad rem loquamur, AUGUSTI imperio Majesta-  
tem is addit, qui sine honore inter jumenta projectus vide-  
tur: & Principis Romani purpuram *Infantis Bethlehemitici*  
panni illustant. Gaudet novo sanctoq; nomine *Augustus*;  
ejusq; gratiam S. P. Q. Romano debere sese credit. Erras,  
AUGUSTE: dixere te Romani, non fecere *Augustum*:  
neq; te fecisti ipse talem; sed qui te *Augustum* voluit, jussit,  
nec agnoscitur in tuâ aulâ, nec colitur; & interim tamen (vi-  
vide

vide bonitatem ignorati tibi Numinis!) quòd orbis pleramq̃  
certè cultissimam partem sub ditione tuâ contines, quòd  
nomen tuum Gentes venerantur, quod institutum abs te  
Imperium non tam annis, quam seculis numerabitur, id o-  
mne munus est ejus, cujus nomen nec dum nosti, cujus Im-  
perio sic tamen subes, cujus robore totus sustentaris. Sed de  
recens nati REGIS ac DN. nostri eminentiâ ac Majestate  
nunc quidem ista sufficiant. Quam quùm sermone huma-  
no (quod supra dicebamus) exprimere minimè liceat, uta-  
mur lingvâ ac voce Angelorum, dicamusq̃: GLORIA IN  
EXCELSIS DEO; ET IN TERRIS PAX; ERGA HO-  
MINES BENIVOLENTIA. Cujus hymni gravissima ver-  
ba minimè negligendam nobis occasionem offerunt, pauca  
jam porro de beneficiis & fructu nascentis MESSIÆ, his,  
quæ jam dicta sunt, adjungendi. Scilicet indicat Angelica  
Cantio, nihil ex hoc negotio deberi gloriæ, vel Angelis, vel  
hominibus; sed universam gloriam deberi bonitati divinæ,  
quæ nobis, quos condidit, miro prospexerit è Cœlo consilio,  
uti intelligeremus, illinc nobis proficisci, quicquid salutare  
obtingeret, aut magnificum. In terris nihil aliud votis ex-  
petendum, quam pacem, quæ peccatis abolitis DEO, nos  
conciliet; quæ nos mutuâ charitate conglutinet. Enimverò  
hæc ipsa non Mundi, sed DEI pax est, quæ exsuperat omnem  
sensum, quæ universis Mundi felicitatibus longè major est  
ac ponderosior. Ea gratis per hunc natum Conciliatorem  
DEI & hominum offertur, non intercedentibus nostris me-  
ritis, sed ex propensâ in nos beneficentiâ ac voluntate (ita  
commodissimè τὴν ἐν αἰθράσι εὐδοκίαν interpretaturi videbi-  
mur) cui mirabili hac ratione salutis generis humani consu-  
lere

lere visum est. Quid verò nostrâ fit ex parte? Hujus tanti bonitâ præciosus thesaurus quomodò admittitur, quibus manibus contrectatur, quibus animis accipitur? Ingratis nimirum, impuris, crudelibus. Gloria quæ DEO Auctori beneficiorum unico tribui debebat, hominibus adscribitur: quod benè vel geritur, vel gestum existimatur, humanæ potentia vel sapientia imputatur. Hinc iste factus, insolentia, supercilia. Pax verò præsertim animis & conscientis per hunc natum PUERUM oblata, locum vix invenit, minime quidem apud honorem, opum, voluptatum captatores. Illi enim humili & abjectâ specie rerum (quod non multò ante conquerebamus) offenduntur. Quæ enim, inquiunt, gloria DEO ex casâ rusticâ; ex personis vel ignotis vel contemptis, quales erant *Josephus & Maria*; ex Pastoribus harmoniam Angelicam audientibus quidem, sed pastoritiam simplicitatem vultu & gestu profitentibus, nascatur? Quid jam opulenti & potentes, quam pacem in conscientis, quam lætitiâ sentiunt, qui semper torquentur metu vel amittendarum opum, quas injuriâ possident, vel periculo servandarum. Non sine causâ CHRISTUS noster in paupertate natus, eamque professus est, sed ideò, uti nobis commendaret non tam usum divitiarum, quam fugam; earum scilicet, quæ animos insolentes redderent, petulantes, cupidos rixarum, contentionum, bellorum, cædium, aliarum calamitatum auctores. Sed apud voluptatum captatores quem locum in conscientis pax inveniât? Bacchi & Veneris Orgia celebrari, à multis ex juventute nostra, his diebus haud dubie intelligemus; atque utinam spes ea nobis decollaret, nec id intelligeremus unquam. Sanè enim qui hisce studiis de-

diri,



diti, aut ita vel animati vel comparati sunt, eos certissimum est  
tàm procul ab eâ, quàm hoc loco signamus, pace abesse, ut distare  
magis supremi cœli ab infimâ tellure nō possint. Jam de bonâ inter  
homines voluntate, aut mutuâ inter eosdem benivolentiâ quæ  
spes est reliquâ? *Neminis misereri certum est, quia mei miseret nemi-  
nem,* inquebat olim Senex Comicus. Alius etiam, nemini sese  
credere, adserbat; sibi si quis credere vellet, facturum suo uti-  
que periculo. Ex hoc hominum genere (quod vel sanior Ethni-  
cus detestetur) qui sunt, novi à nobis Politici vocantur. O anti-  
qua & CHRISTO digna simplicitas! Utinam nova terra novos  
istos Politicos apud se potiùs videret, quàm nostra eos haberet,  
unâq; cum iisdem de salute periclitaretur. Qui enim ita compa-  
rati sunt, neque nomine Christiano digni, neque cætu habentur;  
neque cum CHRISTO capite hæc membra unquam coalescent.  
Ista autem sinisteritas voluntatis undè tandem in homine existit?  
Certè nec hujus PUERI nativitas, nec ab eodem nato exercita  
charitas tale quid unquam præ se tulit. Longè nobis aliud sva-  
dere debebat exempli pene plusquàm divini præsentia & efficacia.  
Videmus jacentem in cunis DEI Filium, amore generis humani  
flagrantem, pacis auctorem, eximiæ propensæq; voluntatis para-  
rium. Exemplum præsens, efficax, divinum quidni admittimus?  
Amorem, pacem, benivolentiam, concordiam quidni exercemus?  
exemplo, quod omni exceptione majus est, securi; imò & certi,  
quod CHRISTI adversarius, odii, belli, malivolentiæ, calumniæ,  
adeoq; malorum omnium Sator Sartorq; maximus, omnes exem-  
pli sui sectarios, partim honorum vento inflatos, opum copiâ tur-  
gidos, voluptatum usu marcidos, petulantia, inobedientiæ, falsi-  
monia reos, malæ primùm conscientia tormento in hac vitâ, sup-  
plicio æternæ in alterâ mactet. Quod ut natus PUER, datus hu-  
mano generi Filius, Gloriæ in excelsis DEO dandæ, pacis in terrâ  
hominibus conciliandæ, & bonæ inter ipsos voluntatis, per suam  
erga eosdem benivolentiam, auctor (malè ominatis enim in hoc sacro Natalitio verbis  
libenter parcimus) avertat; cæteris verò gloriæ divinæ, pacis ac propensæ adfectus cu-  
pidis ac Studiosis, pacem ac reliqua hujus nativitatis beneficia largiatur, his diebus præ-  
cipuè, reliquis verò semper, ipsum illum PUERUM Filiumq; DEI nobis datum ac na-  
tum, cujus natalicia celebramus, ex animo supplices precabimur.

lere visum est. Quid verò nostrâ fit e  
boni tam preciosus thesaurus quomod  
manibus contrectatur, quibus animis a  
mirum, impuris, crudelibus. Gloria q  
neficioꝝ unico tribui debebat, ho  
quod benè vel geritur, vel gestum exist  
tentia vel sapientia imputatur. Hinc  
tia, supercilia. Pax verò præsertim a  
per hunc natum PUERUM oblata, loc  
mè quidem apud honorum, opum, vol  
illi enim humili & abjectâ specie reru  
ante conquerebatur) offenduntur.  
gloria DEO ex casâ rusticâ; ex personi  
tentis, quales erant *Josephus & Maria*  
moniam Angelicam audientibus quid  
simplicitatem vultu & gestu profirenti  
jam opulenti & potentes, quam pacem  
lætitiâ sentiunt, qui semper torquent  
darum opum, quas injuriâ possident, v  
rum. Non sine causâ CHRISTUS  
natus, eamq; professus est, sed ideò, ut  
non tam usum divitiarum, quam fugam  
animos insolentes redderent, petulan  
contentionum, bellorum, cædium,  
auctores. Sed apud voluptatum cap  
in conscientia pax inveniat? Bacchi  
lebrari, à multis ex juventute nostra, h  
intelligemus; atque utinam spes ea no  
intelligeremus unquam. Sanè enim

Hujus tanti  
ur, quibus  
ingratis ni  
auctori be  
describitur:  
umanæ po  
s, insolenti  
onscientia  
enit, mini  
captatores.  
non multò  
, inquit,  
is vel con  
tribus har  
astoritiam  
tur? Quid  
ntia, quam  
el amitten  
servanda  
paupertate  
amendaret  
cilicet, quæ  
os rixarum,  
lamiratum  
nem locum  
Orgia ce  
naud dubiè  
ret, nec id  
studis de  
diti,

